

Ibi magna contentione dissidentibus animis disceptabatur; neque ob eas, quæ de veteribus institutis corrigendis agitantur, controversias quidquam decernebatur; in Galliis vero post pacis conditiones pactas acerrime adhuc inter se populis de religione certantibus, novi tumultus suboriebantur. His permotus Pontifex arma comparare, Principum auxilia implorare, atque Concilium in aliud tempus rejicere meditabatur. Ea ex re ingentem Senatus molestiam percipiens, ut, iis consiliis, quæ ad vim, atque arma spectarent, relictis, ad calcem Concilium perduceret, contendebat: *Ne in humanis auxiliis, Principumve potentia, aut viribus, quæ plerumque ambigua, incerta, noxia essent, sed in Deo omnes curas, cogitationesque defigeret; Dei opus non humanis conatibus, sed Divina virtute æstimandum. Quid christianæ reipublicæ deterius, atque acerbius, quam Synodum, universi orbis expectatione tot laboribus, tot impensis coactam, dimitti? Quam illius denuo convocandæ; ac cogendæ spem affore? Quoniam gravissima religionis dissidia essent evasura? Jam Galliam nationale concilium concoquere; ejus exemplo reliquas idem provincias facturæ. Catholicam inde religionem magnum discrimen subituram; dum unaquæque provincia privatim suis rebus consuleret, commune bonum distractum, ac convulsam, pessum iturum. An vero id tanti esset, Ecclesiam reformandam iis Patribus credere, qui pietate, ac religione ex omnibus provinciis selecti in eum locum convenissent, in quo Deo Optimo Maximo adspirante de gravissimis sanctissimæ, ac Catholicæ religionis causis decernendum esset? Quocirca, omni timore deposito, strenue in id incumberet, in quo afflictæ, ac perturbatæ Ecclesiæ salus contineretur. Ad hæc Cæsaris literæ accessere, quibus Pontificem a Concilio e Tridento amovendo, atque alio transferendo (uti rumor erat) dehortabatur; cum exinde multa, eaque gravia detrimenta obventura autumaret; neque id se passurum diceret, meliusque nunquam inchoatum, quam cœptum intermissum, ac in aliam civitatem translatum affirmaret. Itaque suadere, ut Patribus liberam disciplinæ, ac morum instaurandorum facultatem permetteret, & summa, qua pollebat, auctoritate ad præsentem perturbatis rebus opem ferendam Tridentum se conferret: eodem & ipsum, ut*

1563
Pii Pontificis consilium de Tridentino Concilio dimittere & religionis causam armis tractando.

Senatus Pontificem, ut ab armis abstineat, hortatur.